



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

IX. De legatis Marchionis Adelberti de Saxonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*Conuertuntur
Hologastenses.*

regno Dei, quousque omnis populus fidei Sacramenta suscipiens, fana sua destrueret, & Ecclesiæ sanctuarium cum altari præpararet. Quod Episcopus consecrans Ioannem Presbyterum eis ordinauit, & vt reliquam Basilicæ fabricam post suum discessum promouerent, admonuit.

*De legatis Marchionis Adalberti de
Saxonia.*


CAPVT NONVM.

*Sefidus.
Edit. Canis.
lib. 3. cap. 8.
Cur. Marchio-
nis Adalberti
pro S. Othone.*



VM ea gerebantur, legati Marchionis Adalberti de Saxonia superuenere opera & statum Episcopi studiosè inquirentes. Marchio enim cum esset amicus valde & familiaris Episcopo, in gente barbara hunc periclitari metuebat. Vnde, si opus haberet, præsidium ei, & opem ferre cupiebat. Affuere simul ipsius Episcopi Oeconomi, & procuratorum nuncij, aurum, argentum, vestes quoque & alia necessaria ei deferentes. Vt enim supra dictum est, licet Euangelium annuncians de Euangelio viuere deberet, ipse nihil horum vti volens, suis se tantum vibus transigebat. Igitur legatos omnes apud se ibi tam diu detinuit, quousque videndo & audiendo discerent, quid de ipsius operibus aut statu referre deberent.

Porro baptizatis omnibus tam viris quam mulieribus totius ciuitatis, ad dedicationem altaris ac sanctuarij iam surgentis Basilicæ, multa exultatione populi, deuotus Præsul accingitur, omni studio & diligentia ipsi facto decorem, & reuerentiam procurans, quatenus de amissione prioris fani, vel celebritatis minimè dolerent melioris solennitatis tripudio, & melioris fabricæ ornamento consolati.



De